



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Joannis Nadasi, è Societate Jesu, Annus Caelestis,  
Jesu Regi, & Mariae Reginae, Sanctorum Omnium Sacer**

Anni Caelestis Dies, & Festa Mobilia

**Nádasi, János**

**Coloniae Ubiorum, 1667**

27 Junii. 5 Kal. Julii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53527](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53527)



S. Pelagi, pulcherrime, sed simul pudicissime, adolescens; qui, cum à Rege tangi, & à Christo deficere, nolles; cum frustatim scindereris, de cælo vocem audisti, dicentem: *Veni, accipe coronam, quam tibi ab initio promisi!*

S. David Eremita.

S. Perseveranda Virgo.

B. Rodulphe Episc. magnæ orationis, austeritatis in corpus, & in egenos benignitatis, vir.

S. Venera V. pro puritate Martyr, à fratribus tuis occisa.

OMNES SANCTI, &c.  
pag. 320.

S. MARIA, cujus honori hodiernus S. Anselmus Carthusianus Officium quotidie recitavit, quod Carthusianus persuaserat è cælo S. Petrus Apostolus. *Ora pro me, ut ita orem, prout orare me volunt Sancti, & tu ipsa!*

27 Junii. 5 Kal. Julii.

SANCTE Ladislæ, Ungariæ Rex Apostolice, cujus aulæ familiarum Angelum, tibi, in singulari certamine, strictis gladiis adstitere: qui Geysam fratrem tuum ab iisdem coronari vidisti, & divino monitu, MARIE basilicam erexisti: qui  
orans,



orans, coruscus, & sublimis in  
 aëre visus es à terrâ elevatus: qui  
 copiosam tuo militi annonam pre-  
 cibus impetrâsti; & in ipso terræ  
 sanctæ adeundæ, & ab hoste vin-  
 dicandæ, apparatu, cælum san-  
 ctum ingressus es: cui mortuo, per  
 triennium totum, atrata, prohibi-  
 tis ludis, parentavit Ungaria; &  
 corpus in curru, absque jumentis,  
 ad MARIANUM templum Angeli de-  
 vexere. O defende me cum Angelis  
 illis tuis in ultimo & singulari meo  
 certamine! O experiar opem tuam;  
 ut vincam in horrendo illo duello  
 mortis, ubi mihi pro summâ rei,  
 pro æternitate, pugnandum, &  
 moriendum, ac vincendum est!  
 Amen.

S. Ferdinande Episc. sanctitate,  
 literis, miraculis, celebrate.

S. Crescens Episc. M.

S. Zoile M. qui Agapito, devo-  
 to tibi Episcopo, qui tuum corpus,  
 integrum repertum, piis osculis  
 fuerat veneratus, dixisti, omnia il-  
 lum, quæ per te à Jesu poposce-  
 rat, impetrâsse; & addidisti: *Cer-  
 tus esto; quia dimissa sunt tibi peccata  
 tua.*

Sancti novemdecim Martyres,  
 focii S. Zoili.



S. Anecte, aliorum ad martyrium hortator; qui idolis oratione prostratis, à decem militibus verberatus, manibus pedibúsq; præcis, capite truncatus es.

S. Sampson Presb. qui hospitalitati sanctæ deditus totus, Imperatorem, solo manûs contactu, sanasti; & post mortem, grande incendium extinguere visus es.

S. Joannes Presb.

S. Paule, qui hoc die S. Franciscam Romanam hortatus es ad amorem SSS. Trinitatis, & illius unitatis, *quæ ignem accendit amoris*; eam attentam esse jubens ad ea, quæ Deus agit: ea enim esse *optimè facta, flammâ amoris*. fac, ut omnia, quæ facio, flamma divini amoris erudiat, ut optimè fiant,

OMNES SANCTI, &c.  
pag. 320.

S. MARIA, de cuius templo extruendo cum fratre deliberans S. Ladislaus, vidit cervum, cornibus, ac ardentibus facibus, seu Angelum, alis igneis perillustrem: & postea etiam ab Angelo monitus, ad aureum fluvium, Basilicam Deo, nomine suo insignem, erexit; ac addictissima tibi Dalmatia Croatiaeque regna MARIANA Ungarici tui regni corona adjunxit. Subde,

Do-



Domina, subde faces cordi meo, quibus me, ad amandum in te, honorandumque Deum, accendas. Subvehant tepidum istud cor meum pennis suis igneis Seraphini; ut omnia, quæ scribo, quæ loquor, quæ ago, quæ cogito, ardeant igne illo, quo tu soles tuos accendere, ô Mater pulcherrima dilectionis!

28 Junii. 4 Kal. Julii.

SANCTA Potamiæna, hostium Christianæ virginitatis tuæ, per inaudita tormenta, fortissima triumphatrix; quæ, unâ cum matre, igne consumpta, post mortem, Basilidis, tuæ olim virginitatis custodis, capiti cælestem imposuisti coronam, eumque ad æternitatem beatam invitasti, quam ille, capite pro Christo plexus, ingressus est. Cælestis virago, & beneficii, in terris accepti, etiam in cælis memor! ô, quæso, ora illic pro me; ut pro beneficiis è cælo acceptis, gratus vivam semper, gratus moriar. Tuere me viventem, & morientem, contra hostes omnes in terris; ut æternitate coronatus, æternum Deo, ac tibi, sim gratus in cælis. Amen.

S. Leo secunde, doctissime, &  
Ii 2 magna-